

I. N. J. C.

DISSERTATIONEM ACADEMICAM  
DE

FENNIS,

AUCTORE

TACITO,

SECURIS ADVERSUS HOMINES,  
SECURIS ADVERSUS DEOS,

---

CONS. AMPL. SENATUS PHILOS. IN REGIA  
ACADEMIA ABOËNSI,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNNE  
BILMARK,

Histor. & Philos. Pract. PROFESS. Ord.

*Publice ventilandam sistit*

ALUMNUS REGIUS

ISAACUS FLORIN,

Satacundensis.

In AUDIT. SUP. Die XIX Decemb. MDCCLXXVI.

H. A. S. M. C. 4. 1. 6

---

ABOË Impressit JOH. G. FAENCKELL, R. Ac. Typ.

*VIRO Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,*  
**D: NO MAG. ISAACO FLORIN,**  
Ecclesiarum, quæ DEO in Karis-Lojo & Sannatti colli-  
guntur, Pastori meritissimo,

PARENTI INDULGENTISSIMO.

*Plura omnino sunt, Parens Indulgentissime, TUA in me beneficia, quam ut ea enumerare, nedum unquam remunerare possim. TIBI enim post DEUM O. M. omnia debeo. TUO indefesso labori primordia studiorum meorum merito adscribam, quum Te solo ad id usque tempus, quo Musas Auraicas invisere mihi contigit, usus sim Præceptore. TUO denique propenso in me studio factum est, ut Dissertatio hæcce lucem videat.*

*In tesseram igitur pietatis semper duraturæ, benigne excipias has studiorum meorum primitias, quas tibi cernuus offero. De cetero a Summo Numine supplicibus precibus contendere nunquam desistam, velit TE, Parens Optime, continua felicitate ornatum, ad seram usque ætatem conservare, ut Ecclesiæ ac Tuorum commodis quam diutissime sufficere possis. Ita animitus vovet*

PATRIS INDULGENTISSIMI

*Filius obedientissimus*  
**ISAACUS FLORIN.**



§. I.

**I**nter alios libros, quos hac praesertim tempestate evolvi, incidi quoque nuper in opuscula, quae consignavit Professor quondam Academicae Erlangensis, Celeberrimus Dominus CHLADENIUS, inter quae in volumine secundo animadverti Schediasma, quod inscribitur: *De Fennis, auctore TACITO, votis opus non habentibus.* Dici autem non potest, quanta curiositate huic eruditionis specimini perlegendo me accingerem; sperans, me in eodem aliquid inventurum, quod ad Historiam Majorum nostrorum, vel saltem ad genium ipsorum propius cognoscendum pertineret. Sed de amplissima, qua animus meus laetabatur, spe protinus decidi, quum in toto hocce opusculo Inclytus hiece Auctor parum vel nihil agat de veteribus Fennis, verum post moralem paraphrasin & censuram in verba Taciti (a), hinc occasionem sibi sumit ostendendi, quod civium suorum pectora votis ea tempestate maxime deberent incalescere, quum Princeps Augusta ex Domo Brandenburgico-Culmbacensi ELISABETA FRIDERICA SOPHIA matrimonio jungeretur cum Duce Wurtembergico, ut felici omine cuncta succederent. Mittimus igitur hoc Cel. CHLADENII programma, cui, duce *Tacito*,

hoc tantummodo debemus, quod occasionem nobis præbuerit, in conditionem veterum Fennorum hæc pagellis breviter inquirendi.

(a) Censet CHLADENIUS: quod a TACITUS lectores fallat non oratione falsa, sed arguta notionum permutatione. Describit enim Fenno tales, quales erant: nullis artibus, ne quidem rusticis excultos, non aliis subsidiis aut opibus, unde humanitas & vitæ suavitas pendet, auctos. Fallaci autem ratiocinatione, ignorantiam bonorum in abundantiam & satietatem vertit, & ex feritate morum, inopiæ juncta, securitatem gentis istius conflatur. Unde tandem conficit, quod summæ felicitatis compendium est, votis non indigere, in eos convenire, qui a felicitate essent remotissimi. Hoc num quid sit aliud, quam in re serâ ludere velle, definiant alii.

## §. II.

De scribendi genere, quo utitur CORNELIUS TACITUS, diversa admodum existunt diversorum iudicia. Auctorem enim hunc, quem e manibus discen- tium plane excutiendum esse censent nonnulli, alii in exemplum proponere non dubitant. Profecto dissi- teri nemo potest, quin opera sua Inclytus hæc Scri- ptor ea iudicii *ἀνεβέβη* consignaverit, ut mirifice a- cquant legentium ingenia, hinc Politicis aularum se- creta sagaciter pandendo, inde oratoribus, etiam in sterili argumento causas amplificandi investigantibus, facem præferendo. Dictio autem ejus est acuta, ef- ficax, concisa & fere nimium meditata; floridior in  
histo-





historiarum libris; pressior, aridiorque in Annalibus, gravis tamen ubique & sensum longius, quam verba proferens: nonnunquam vero obscurior, ut ingeniosis tantum Lectoribus scribat: interdum etiam de orationis concinnitate & elegancia, magis quam de veritatis robore sollicitus, adeo ut auribus potius, quam animis loquatur. A vero igitur non abludivit argutus ipse BOUHOURS, qui de TACITI stilo inter alia ita judicat: *il ne raconte pas les choses, comme elles ont été, mais comme ils' imagine qu' elles auroient pu être. Enfin ses reflexions sont souvent très fines, mais peu vraisemblables* (a). Ad quam censuræ partem merito referuntur pleraque eorum, quæ de Fennis ex aliorum relatione perhibet, imprimis vero verba modo allata, quod Fenni essent *securi adversus homines, securi adversus DEOS, ut ne voto quidem illis opus esset* (b). Fingamus enim hominem, in ipsius fortunæ sinu blande otiantem, qualis facilius fingitur, quam uspiam terrarum invenitur; quis tamen serio crederet, ipsius votis nihil amplius esse relictum? Profecto si quis ex omni parte sit beatus, vovere tamen necesse habet, ut felicitas, qua fruitur, intemerata sit atque perennis, quum humanæ vices sint tales, ut momentum temporis intercedat sæpe inter summam felicitatem & gravissimam calamitatem. Quid? Quod una ex altera nasci videatur.

---

(a) Vid. *La manière de bien penser sur les ouvrages de L'Esprit* p. 208. (b) Vid. *Ejusd. Libr. de Moribus Germaniæ Cap. XLVI.*



## §. III.

Quamvis vero ultra humanam sortem felices non fuerint veteres Fenni, nec proinde allata TACITI verba in ipsos prorsus quadrent; dissiteri tamen nemo potest, quin provida DEI cura in eos plura contulerit bona, quam australes Europæ populi facile credere possint. In quantum igitur vera sit sententia TACITI nunc ostensuri, primo inquiremus, ubinam Majores nostri ævo, quo vixit TACITUS, seu sæculo I. habitaverint. Docent igitur annales, fide dignissimi, quod Fenni sedes suas tunc habuerint in jugis Alpium Norvagicorum vel circa horum radices. Maxima enim probabilitate sese commendat eorum opinio, qui existimant primos Scandiæ incolas fuisse Fennos, qui postquam Othinus II. in Scandiæ oras sese intrusisset, ad septentrionalem mundi cardinem sese contulerint; secum reputantes, quod quo longius a Gothico hocce Jove recederent, eo minus fulminibus, quæ ambitio ejus vibrabat, in obscuro angulo petererentur. Hac mente partim in jugis montium Norvagicorum, partim circa eorum radices primum confederunt a materno stemmate avulsæ Fennorum coloniae. Historiæ enim fragmentum, quod *Origines Norrigiæ* inscribitur, statim ab initio perhibet, quod FORNIOTUS fuerit Rex Finlandiæ seu Kuenlandiæ, quodque ipsa contermina Helsingiæ. Memoriam etiam prodit STURLONIDES de WANLANDO, Svethiæ Rege, quod quum in Finlandia ex gra-



vi morbo occubisset, ad ostium fluminis *Skuta* fuerit sepulchus (a). Est autem in nostra Finlandia nullus locus hoc nomine notus: In Jemtia vero est mons altissimus *Areskutan*, prope cujus radices labitur fluvius, nunc a parœcia *Niurunda*, olim autem a monte, cognominatus. Nec denique erit reticendum, quod quum ADAMUS BREMENSIS, qui sæculo XI vixit, satis accurate describit provincias imperio Svecogothico subjectas vel innexas, inter populos, ad orientalem Svethiæ plagam degentes nominet *Æstios*, *Curlandos*, aliosque (b); nullam autem mentionem Fennorum, in vastis nisce terrarum tractibus habitantium, faciat, Finnos vero seu *Skrid-Fennos* *Helsingis* vicinos ponens (b). Quis vero crederet, ipsum neglexisse Patriam nostram suo indigitare nomine, si terra hæc tunc temporis Finlandia fuisset cognominata? Quæ argumentorum momenta si quis rite expendat, concedet facilis, Fennos tempore TACITI vel in jugis Alpium Norvagicorum, vel circa eorum radices confedisse. Quum vero sæculis XI & XII frequentes in Finlandiam seu Finmarkiam a ferocibus Norvagiæ Regibus fierent irruptiones, probabile admodum est, quod Fenni, loca tuta suis penatibus quærentes, ad orientales nostras terras sese contulissent, ibique sedes suas posuerint, pristinum nomen ipsi retinentes, & novæ etjam terræ, *Osterlandia* tunc dictæ, nomen prioris patriæ imponentes.

---

(a) Vid. *Heimskringla* Tom. I. p. 16. (b) Vid. *Ejusd. Libr. de Situ Daniæ &c. ex edit Lindenbr. p. 61.*





## §. IV.

Per juga montium modo memoratorum atque inhospita loca vagantes veteres Fenni, quodam modo securi fuerunt ab hominibus, sicuti de ipsis prædicat TACITUS. Quum enim non undique, sed tantummodo ab Australi parte ab aliis nationibus, Svecis videlicet atque Norvægis cingerentur; hi autem conterminos Fennos aggredi nec voluerint, quia nulla ipsis adfulgeret spes ab inopi hac gente opima quædam spolia domum reportandi, nec potuerint, partim quod Fenni per amplissima deserta sese mox dispergerent, partim quod ipsi cum aliis populis, æque tunc pugnacibus, de gloria & vita continuo dimicarent, Fenni, ceteris nationibus vires suas invicem librantibus, grata satis in suis tesquis egerunt halcyonia. Docet quidem Historia Patriæ, quod Reges Scandiæ ad veteres Fennos cum armata manu sese contulerint, sed præterquam quod hæc facta sint Taciti ævo longe posteriora, scopus harum expeditionum hic potius fuit, ut pactis connubialibus, quæ armis extorquere tunc honestum putabatur, amicitiam cum his vicinis confirmarent, quam ut ipsos bello persequerentur. Præterea securi fuerunt a ceteris civibus suis: quum enim veteres Fenni in communione, ceu dicitur, negativa viverent, nihilque sibi ut propriam vindicarent, nec ullæ inter eos existerunt controversiæ de rerum possessione. Adde, quod quum sua omnia secum portarent, incertis vagantes



gantes sedibus, furum dolis ac direptionibus opes, quas forte habuerunt, nunquam patuerint: peregrinis autem, aliceni avidis, vix unquam incesset cupido, in vastas Finlandiæ silvas, quæ cum solitudinibus Scythicis comparari possunt, penetrandi, præsertim quum incertum esset lucrum, periculum autem manifestum.

§. V.

Nec inepte admodum de Majoribus nostris idem prædicat TACITUS, quod securi fuerint adversus DEOS, non eo sensu, quasi adeo feroces fuerint, ut DEUM non curarent, aut Ejus offensam non extimescerent, sed quod propter oportunitatem locorum, quæ inhabitabant, eas non sentirent publicas calamitates, quæ peccatorum sunt stipendia, & quibus populi australes iterum iterumque solent affligi. Quum enim solum imprimis Italicum sit & porosum & sulphureis nitrosisque particulis repletum, æstus præterea hanc terram veluti torreat, fieri aliter nequit, quam ut Itali gravissimis terræ motibus sæpius conturbentur. Præter hæc quum effluvia propter intensum calorem diurnum in atmosphæram catervatim ascendant, necesse fere est, ut australes partim fulminibus terreantur, partim gravissimis morbis sæpe affligantur: quæ omnia longe aliter sese habent in locis borealibus, in quibus propter discrepantiam soli incolæ vel non, vel admodum raro terræ motibus quatiuntur, parcius quoque tam fulminibus expalle-

B scunt,



ſeunt, quam acutis morbis ad incitas rediguntur; quorum utrumque experientia fatis comprobat. Porro qui agros, hortos & vineas colunt, uberes fructus fruſtra exſpectant, niſi aëris temperie fata fruantur, viciffitudinibus autem aëris nihil fere inconstantius, quamobrem populi, hiſ operis intenti, nunquam ſecuri eſſe poſſunt, quin imbres aliæque tempeſtates ex improviſo ingravescant, quibus ampliffima fructuum ſpes intra exiguum temporis ſpatium tota decollatur. De veteribus autem Fennis memoriæ prodiſ TACITUS, quod venatus viros pariter ac feminas aluerit, & quod illhoc vitæ genus beatius duxerint, quam ingemere agris, illaborare domibus. Credere autem par eſt, tantam olim fuiſſe in borealiſbus noſtris locis ferarum varii generis, victui inſervientium, multitudinem, ut quilibet paterfamilias, quotieſcunque neceſſitas poſtularet, eas habere potuerit. Atque hic modus vitam ſuſtentandi impediri quidem gravioribus tempeſtatibus, non autem penitus ſuſflaminari potuit. Denique quum ſua ſe ſimplicitate involverent veteres Fenni, nec alium quemcumque temere laceſſerent, docet enim TACITUS, quod noluerint *ſuas alienaſque fortunaſ ſpe metuque verfare*; hac vivendi ratione iram DEI provocare non potuerunt; ipſum igitur ſibi propitium habuerunt, ſeu quod eodem recidit, per innocuam vitam Fenni fuerunt ſecuri adverſus DEUM. Exiſtimat quidem Cl. ERNESTI an ſuis ad TACITUM notis, quod Fenni eatenus fuerint *ſecuri adverſus DEUM*, quod *DEUS nihil habenti*



*benti nihil adimere possit: at quamvis fœda fuerit Fen-  
norum paupertas, uti loquitur TACITUS, scilicet re-  
sceptu luxus, quo circumfluebat populus Romanus,  
non tamen plane nihil habuerunt, quod ipsis eripi non  
potuit: habuerunt enim adinstar reliquorum Scytharum  
Nomadum greges pecorum, vel si hoc etiam  
negetur, habuerunt tamen a Munifico Creatore plu-  
rima bona, sine quibus existerere ac conservari non  
potuerunt, sed quæ extra omnem fortunæ casum  
non sunt posita.*

## §. VI.

Quæ de veteribus Fennis quondam prædicavit  
ωοΑικωα/α/α TACITUS, & de eorum securitate, ea etiam  
 nobis, eorum nepotibus, mutatis licet pristinis sedi-  
 bus, quodammodo applicari possunt. Securi enim  
 sumus, si non penitus, id quod paucis admodum gen-  
 tibus datum est, at tamen magis, quam multæ aliæ  
 nationes, ab hominibus, quum ab exteris non ni-  
 si ab unica parte cingatur Patria nostra. Nec  
 mediocre est naturæ beneficium, quod terra nostra  
 montibus, fluviis ac silvis; litora item scopulis ita  
 sint munita, ut irruptiones ac descensus in nostram  
 Patriam sint negotium arduum & ancipitis periculi  
 plenum. Audiamus de hac re ipsum Ducem exer-  
 citus MANSTEIN: *L'armée ne peut marcher que sur  
 une seule colonne: car dans ce pays-la il n'ya que les  
 grands chemins, qui soient praticables, des deux côtés*  
il



*il y a des bois, des marais & des rochers. Dans toute la Finlande à peine trouve-t-on une plaine où quatre régiments puissent camper en front de bandière (a). Et licet, introducto rerum dominio, nunc non desint controversiæ de possessione fundorum, hæc tamen tranquillitatem publicam non turbant; immo omnis ævi annales docent, quod Fenni nunquam nova moliti fuerint. DEUS quoque, quæ summa ejus est in nos bonitas, a plerisque calamitatibus publicis nos salvos & incolumes præstitit & etiamnum præstat. Viscera enim soli nostri internis motibus perquam raro concutiuntur: fulmina apud nos non sunt frequentia, morbi contagiosi raro ingravescent; Quid? Quod caritate annonæ intra semisæculum, id quod luculentissimum est gratiæ Divinæ documentum, pressi non fuerimus.*

---

(a) Vid. *Memoires de Mansstein* p. m. 394.

## §. VII.

Quoniam vero scopus votorum nostrorum hic plerumque est, ut securam ac tranquillam degamus vitam; a proposito nostro non erit alienum, paucis dispicere, quid quemvis, tranquillitatis cupidum, facere oporteat, ne ab isthoc discedat sine. Quoniam itaque mentis tranquillitas est eximium hominis bonum, eadem non aliunde, quam ab omni bonitatis fon-





fontē, DEO ipso, erit repetenda. Tranquillitatem igitur desiderans, DEUM, summasque Ejus perfectiones intime cognoscat; quo facto, hinc DEUM ut patrem, illinc ut Dominum agnoscit: amat illum, veneratur hunc, timet utrumque, sed timet cum amore ac veneratione. Deinde voluntati Divinae, a se probe cognitae, omnes actiones suas convenienter instituit, nec ullum peccatum adeo leve existimat, ut eidem indulgere possit. Sic continuam virtutibus operam navando, vitia autem, ceu angue & peste pejora effugiendo, integram conservat conscientiam, quae animo tranquillitatem, futurae felicitatis praenuntiam, impertit gratissimam. Ita firmatus animus, ad quemlibet fortunae casum immotus manet, adinstar rupis, in medio maris, altissimis defixae radicibus, cujus summa fluctus non attingunt, infima sic verberant, non ut frangant, sed ut ipsi frangantur. Praeterea severa cogitatione omnem adfectuum impetum coercet, vitiis suis irascitur, & aliquid de eis quotidie demit: non effertur prosperis, nec dejicitur adversis, sed in utraque fortuna utriusque est memor. Quid amplius? De aliis sentit honeste, de se modeste; neminem videt, cum quo suam conditionem velit commutatam. Neque enim tranquillo erit animo, qui intemperanter, qui sumtuose, qui insolenter, qui ambitiose vivit tectis laqueatis, veste superba, famulis numerosis, suppellectili ad invidiam exquisita, aut liber quisquis vitiorum servus est. Sed ille mihi verae tranquillitatis metam attingisse videtur, qui vitae mor-

rumque innocentia inculpatum sese præstat sibi & aliis, eamque insistit viam, quæ recta ducit ad summam illam beatitudinem, omni humana cogitatione sublimiorem, qua ut æternum fruamur, faciat ille  
**ÆTERNUS**, cujus imperio omnia subsunt.

S. D. G.

